



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XXXIII. De Anima liberata Tragani Imperatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXIII.

D E

Anima liberata Trajani Imperatoris.

EX obscura prodit fama (hæc juxta Quintilianum *Declamat. 18.* res est sine teste, sine indice, res ex incertis improbabilissima, fallax & commentitia) quod de Trajano Imperatore perhibetur: nimirum quod contra Regem Decabalum in Dacica expeditione instructis copiis egressurus à vidua quadam populati, cujus filius gladio interemptus, pro sumenda vindicta in homicidas interpellatus fuerit; isque huic responderit; modo sibi nequaquam vacare, ut factum disceriat; sed post expeditionem sese reversurum, summoque jure cum inuasoribus acturum, cui mulier procaciter replicaverit. *Aut Imperator esse desine aut nunc justitiam administra.* Quo veluti percussus Imperator ex equo subito desilierit, de plano causam tractaverit, mulierique satisfecerit; pecuniam tribuendo, seu, ut aliis placet, usque ad reditum proprium filium suum obsidem relinquendo. Hoc factum laudabilissimum cum S. Gregorius Magnus anno secundo sui Pontificatus legisset: vel, ut alii narant, eun-

do ad Basilicam Lateranensem per forum Trajani, historiam istam in simulachris æneis, lapideisve exhibitam accuratius fuisset intuitus Cæsarisque animam æternis flammis addictam considerasset, tam vehementi compassione fertur affectus; ut pro liberanda ab inferis anima Deum precatus, stillantes lachrymas ubertim effuderit: cui per Angelum deinde fuerit revelatum, Deum his precibus & lachrymis commoratum adeo, ut ex speciali Privilegio animam illam ex gehennæ incendiis ereptam voluerit; hac tamen Pontifici sancto imposta cautela, ne deinceps unquam pro infidelibus defunctis Deum interpellare præsumeret. Rem totam Gotofredus Viterbiensis in suo Chronico universalis, quod Pantheon nominavit, & Urbano III. dedicavit, adjectis aliis fabellis inficitis, versibus inclusit insulsis, quos vel ob suam tortuositatem apponere lubet.

*Trajano jam defuncto post temporamvlti,
Gregorius Papa Romanus potentia fuit
Trajani Regis gesta vetusta legit.*

Prælia

Prælia gesturus pergebat ab Urbe Monarchus

Pontis apud Tiberim properans dum transit arcus

Obviam stat vidua, & mota querela sonat.

Hæus! ait illa meum rediens ulciscere natum:

Nam morior, dum sic video cervice necatum.

Hoc scelus imperium vindicet ecce caput.

Cæsar ait, pugnabo prius; curabo redire. Illa infert, si non redeas, quo vindice fiet?

Quam laudem Deus te meruisse sciet. Rex satis iratus, jubet ut vindicta feratur, Post abiit, sed non rediit, quia Marte necatur.

Unde virum laudem plus meruisse patet. Hoc pietatis opus dum Gregorio memoratur;

Ingenuit pro morte viri, multum lachrymans

Orat ut alma Dei Dexterâ parcat ei. Dum jacet in precibus stans angelus increpat illum;

Scis quia non habuit baptismatis ille sigillum?

Quomodo tu lachrymis dona neganda petis?

Ast homo tu paucis opus expetis hoc pietatis;

Quo semel indulto non amplius ista petatis. Trajanus requiem te rogante capit.

Excessit Præsul; sed non permansit inultum,

Angelico pulsu femur ejus tempore multo claudicat, & pæna corpore signa tenet.

Hujus rei tam exoticæ; & si quæ alia, paradoxæ ex Patribus mediæ ævi, primo meminit S. Joannes Damascenus, factum quæ certum tenent Hugo Aetherianus *Lib. de regres. anim. Vinc. Belluac: part. 2. Hist. lib. 10.*

cap. 48. S. Thomas 4. sent. Distinct. 45. 49. 2. a. 2. ad 5. S. Antoninus p. 2. Hist. cap. 3. tit. 12. §. 8. S. Vincentius Ferrerius in Serm. de S. Gregorio Magno. Dionysius Carthusianus, Joannes Gerson, Alphonsus Toftatus, Navarrus, Bartholomæus Medina, Rutilius Benzoni in speculo Episcoporum & ex professo Alphonsus Ciacomus Patriarcha Alexandrinus in vindictis hujus historia Roma 1576. alique, quos magno numero citat Henriquez è Soc. Jesu Lib. 9. Summa Theol. Moral. cap. 16. Ubi in Glosa Litt. M. N. subinfert. Non esse incredibile, quod tantæ Auctoritatis viris videretur factum probabile; à quibus hæc, in rem facientia, adferuntur.

I. Nemo illud prudenter in dubium vocare poterit, quod Oriens pariter & Occidens factum perhibet: Atqui totius orbis attestatone, referente S. Joanne Damasceno, in *Orat. de fidelibus defunctis*, absque ulla dubitatione ab omnibus, tanquam certum creditur, & admittitur, quod anima Trajani per sanctum Gregorium Papam fuerit ex inferno liberata: itaque absque ingenti temeritatis nota, ni scepticus sit, de eo quis dubitare nequit. Neque sanctus Joannes Damascenus ex proprio rem confinxit cerebro, ut quidam injuriose Viro sancto imponant: sed fideliter retulit, quod ubique, quod ab omnibus creditum fuit. Imo vivente adhuc sancto Gregorio, aut saltem paulò postquam è vita discessit, Paulus Diaconus, fidelissimus illius Secretarius, deinde Joannes Diaconus historiam hanc memoriæ prodiderunt. Ac licet non reperiat in cunctis exemplaribus; extat tamen in vetustissimo Codice manuscripto, in Bibliotheca Vaticana, cui Libri Dialogorum Gregorii sunt inserti.

II. Non exiguum rei gestæ accedit pondus, quod Ecclesia eam publicè legi permittat: quo equidem ex Apocryphorum numero liberationem hujus animæ ex inferno secernere videtur. Citatus namque Joannes Diaconus, jussu Pontificis Romani Joannis VIII.

VIII. circa Annum Domini 872. ex Apostolicis Scriniis gesta sancti Gregorii Magni excerptis, testatur *Lib. 2. cap. 44.* Hæc, de anima Trajani precibus sancti Gregorii liberata, in Anglorum & Saxonum Ecclesiis publicè recitari. Quin Ecclesia Græca in *Euchologio cap. 96.* Sic orat. *Quemadmodum Trajanum per intensam servus tui Gregori Dialogi intercessionem flagro solvisti: exaudi etiam te exorantes, non pro idolorum cultore: sed pro fidei servus tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam provocavit.*

III. Nec hæc minimum confirmat traditionem sancta Vidua Birgitta *Lib. 4. revelationum cap. 13.* Ubi legitur. *Quicumque enim offert pro anima alterius unum Pater noster, acceptius est Deo, pondere magno auri.* Sicut patet in illo bono Gregorio, qui oratione sua etiam infidelem Cæsarem elevavit ad altiorem gradum. Magnæ autem existimationis debent esse hæc revelationes, quia Bonifacius IX. P. M. in litteris Canonizationis ejusdem sanctæ Birgittæ, illas ex Divino spiritu manasse decrevit. Quod idem confirmat Martinus V. ut sic, quæ schismatis tempore Decreta fuerant, firmiter consistenter. Deinde beata Mechildi, ut refertur in hujus relationibus, *Lib. 5. cap. 6.* legiturquæ in *Fuscic. temp.* & apud Bellarminum *Lib. 2. de Purgat. cap. 8.* quærenti à Deo, quid actum de anima Sampsonis, Salomonis & Trajani, revelatum, quod ipse velit esse incognitum, quid sua liberalitas cum his egerit. Quo datur intelligi, animam Imperatoris fuisse salvatam ex liberalitate supra legem. Nam Sampson laudatur ab Apostolo Paulo, quod placuerit Deo, eumquæ salvatum dicunt SS. Augustinus, Thomas Aquin: & plerique alii. Salomonis salutem adstruunt SS. Chrysostrmus, Ambrosius, Leo Papa, Hieronymus, Isidorus. Idem ergo sentiendum de Trajano.

IV. Videri quidem posset impossibile, ut anima in peccatis mortui, sine fide & pœni-

tentia ad cœlestem gloriam ex inferno deducatur: sed non eo ipso debet Deo abjudicari salvandi potentia, quod nos lateat, quomodo hoc fieri possit. Ignavia quippe est, vel superbia, veri amplitudinem aut Dei possibilitatem inter angustias scientiæ nolite circumscribere, & ideo factum negare, quod modus, quo factum est, nobis non occurrat. Dicamus aliquid Deum posse, quod nos fatemur investigare non posse. In rebus enim mirabilibus tota ratio faciendi est potentia facientis. Ita docet S. August. *Lib. 22. de Civit. Dei.* Non est igitur curiosus inquirendum, qua ratione Deus animam Trajani salvaverit. Potuit enim ille ad vitam revocatus egisse pœnitentiam, quod habet S. Thomas in *4. dist. 45. q. 2. art. 5. ad 5.* Potuit etiam Deus ex orationibus prævisis, tanquam ob meritum congrui, conferre hoc donum, ne sententia finalis in jam mortuum Trajanum proferatur, ut videre est apud eundem *Dist. 43. q. 2. a. 2. ad 5. & q. 6. de verit. a. 6. ad 4.* Neque Trajanus tantum ita salvatus fuit: sed etiam alii per Apostolos aliove Sanctos resuscitati, qui postea in gratia mortui. Hos inter recensendus venit Andreas ille Romanus, qui, ut legitur in vita S. Annonis Archi-Ep. Colon. *Lib. 1. cap. 33.* apud Surium; *tom. 6. ad 4. in Decemb. & apud Baron. Annal. tom. 11. ad Annum 1070.* eum mortuus fuisset, revixit; dixitque, se post mortem ad loca æternæ damnationis tractum. Qui quidem non fuit absolute damnatus; sed ad tempus puniendus secundum præsentem injustitiam, absolute sententiâ suspensâ. Denique S. Chrysostr. *hom. 72. in Joan. & hom. 21. in Act.* preces pro damnatis ut utiles probavit; quod idem videtur sentire S. Augustinus *Ench. ad Laur.*

Narratio hæc de liberata Trajani anima ad sædulum veritatis scrutatorum Judicium delata, suo merito ab universa Theologorum schola, ut inane figmentum explor-

ditur; quandoquidem illius vanitas è diame-
tro Sacris Litteris repugnet, ita ut minimam
veri speciem obrinere nequeat. *Dominus ni-
hil credi voluit adversus confirmatam Scri-
pturarum auctoritatem* August. Cont. Faust.
Lib. 13. cap. 3. *Igitur nec Catholicis Episco-
pis, multò minus inferioribus, credendum
sibi falluntur, ut contra Canonicas Scriptu-
ras aliquid sentiant.* Idem de Unit. Eccl. cap.
10. Dolendum scribit Annalista Eminentis-
simus ad *Annun. Christi* 604. num. 30. tam-
diù in his tentam fuissè Scholam Theologi-
cam: quanquam hæc excusatio locum ha-
bere possit, quod S. Joannes Damascenus
materiam disputationis subministraverit.
Eandem narratiunculam, quam Sigebertus
Gemblacensis suo etiam inferere voluit
Chronico, ne quid fabularum deesset, op-
pugnant Pompeius, Sarnelli in *epit. Eccles.*
78. & recentissimè eruditissimus Congrega-
tionis S. Mauri Superior Generalis Dionysius à
sancta Martha in Historia de S. Gregorio;
cujus opera 4. Volum. in fol. nitidissimè e-
tulgit, liberaliter refellit Franciscus Pagi
Ordinis Minorum SS^{te} Theologiæ Doctor
in *Breviar. Hist. Chronol.* nuper edito. Et
sanè opus non erit altiori indagine in rem
inquirere, quin protinus falsitas depre-
hendatur. Nam ut S. Joannes Chrysostomus
apprime notat *hom. 83. in Epist. 1. ad
Corinth.* *Errore nihil est imbecillius, & suis
capitur pennis, neque externa pugna opus est;
sed à se ipso conficitur.* Quod in præsentia-
tum apparet ex his subsequentiibus.

I. Deus ab æterno statuit servare legem,
ne cui remittatur peccatum absque poeniten-
tia. Est autem Deus in suis Decretis immuta-
bilis, qui per Michæam *cap. 1.* asseverat.
*Ego Deus, & non mutor. Neque est Deus si-
cut filius hominis ut mutetur.* Num. cap. 23.
Poenitentia autem, qua culpa peccati dele-
tur, non nisi in hac vita peragitur. Itaque
Trajani jam annis pæne quingentis defuncti
in peccatis anima non potuit absque poeni-

tentia peracta salvari; & ut Ledesma vo-
luit, Sixtus Senensis innuit, ex inferno in
gloriam cœlestem transferri. Neque fieri po-
tuit, quod dicunt alii, Trajanum ad vitam
revocatum per corporis & animæ unionem
à Sancto Gregorio baptizatum mox obiisse;
& in cœlum animam abiisse. Fuerat liqui-
dem irrevocabilis sententia in ipsam lata: &
rejecta anima in illum locum, inter quem &
cœlum chaos magnum firmatum est, ut hi,
qui volunt hinc transire non possint, neque
inde huc transinere, Luc. cap. 16.

Sen. Herc. Fur.

Atque avidum chaos

*Gradumquè retro flectere haud unquam
sinunt umbra tenaces*

Quod alii omnes Ethnici agnoverunt, in-
ter quos Sextus Aurelius Propertius, dum
Lib. 5. ad Paulum scribit,

*Desine Paule meum lachrymis urgere se-
pulchrum*

Panditur ad nullas janua nigra preces.

Et Christianus credet hanc passam ad pre-
ces lachrymasquè Gregorii.

Frustra alii excogitarunt, animam hujus
Imperatoris fuissè occultè duntaxat regene-
ratam; quo enim modo id factum fuerit,
ipsimet ignorant. Neque audiendi illi, qui
frivolè prætendunt animam illam non fuissè
quidem penitus liberatam à damnatione;
sed ex parte, pœnâ aliquâ sensus, ex Dei
dispensatione suspensâ, vel omnimode, vel
saltem usque in diem extremum Judicii uni-
versalis. In cujus vicem, facta quadam mu-
tatione, Deus sancto Gregorio inflixerit ac-
rem dolorem stomachi, ut perferretur in cita-
to Dialogorum libro. Hos quidem Baronius
refutare dedignatur *Loc. cit. num. 46.* *Facef-
sant, inquit hæc ludrica; risu potius despecti-
enda, quam disputatione seria confutanda.
Cum enim in eo argumento versetur, quo Di-
vina Scriptura vis infertur; non tantum*

non audienda sunt aniles fabula: sed etsi qua solida firmæ veritate constantia videri possent, eadem non nisi cogita prius, atque discussa penitusque examinata, & centies ad hydium lapidem admota, vix audienda essent, probanda omnino nequaquam.

II. Quantumcunque Ethnici Trajanum Imperatorem laudibus in astra ferant, dictisque ab iis fuerit optimus, in quo nihil omnino fuisse jaçtitabant, quod jure reprehendi posset; adeo ut Principibus in sua inauguratione fieri solerent acclamationes, quibus iis Augusti scælicitas, Trajani optaretur bonitas: fuit equidem sævissimus Catholicæ Ecclesiæ persecutor, vinolentus, superstitiosissimus idolorum cultor, pygista abominabilis, & nefanda infamis pæderastiâ; queam admodum Dionis Cassii, aliorumque Authorum, tam Græcorum, quàm Latinorum relatione constat. Quomodo ergo ob factum unicum, non nisi materialiter bonum & mortuum credi poterit ad instantiam sancti Gregorii salvatus? quando ex Sacris Litteris habetur Patriarcham Abrahamum apud Deum pro multis sodomitis deprecantem, nec unicum ex illis scelestissimis, à justissima vindicta potuisse suis precibus etiamnum viventem à ventura ira eripere. Inconcussa perstant oracula 1. Cor. 6. *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei possidebunt.* Nulla his unquam poterit prodesse Sanctorum omnium intercessio. Grandis scilicet & inflexibilis est ira Dei super eos, sicut exponit S. Hieronymus in cap. 4. *Ezechiel.*

III. Nullam prorsus obtinet veritatis speciem, hoc à Sanctissimo, pariterque doctissimo Pontifice actum fuisse, quod ipse credidit, docuit & probavit, non solum inefficax & frustraneum: sed & peccaminosum esse. Docuit autem & probavit idem ille,

qui refertur pro anima hominis orasse, impium esse, & hæreticum sentire, Christum Dei Filium in descensu ad inferos animas damnatorum salvasse, ut videre est *Lib. 6. Epist. 15.* quomodo ergo præsumeret contra conscientiam petere rem tam inordinatam; atque æternæ Legi Dei contrariam? Idem suum sensum Ecclesiæ conformem doctrinæ luculenter edisserit *Lib. 9. moral. hinc verbis. Quisquis ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ad lucem ulterius redibit: quia nequaquam ultra misericordia parentis liberat, quos semel in locis penitentibus justitia judicantis damnat.* Demum et ejusdem S. Patris Dialogis manifestè convincitur fabula falsitatis.

Joannes Diaconus, qui vitam hujus sancti Pontificis libris quinque, Joanni VIII. P. M. dicatis, comprehensam scripsit, hoc argumentum, nugis armatus, ut Horat. *Lib. 1. Epist. 18.* loquitur, oppugnat *Lib. 2. cap. 44.* dicitque Pontificem non orasse pro anima Trajani, sed tantum flevisse. Lachrymabilis utique distinctio: quam ignoravit ille, qui dixit. *Exaudivit Dominus vocem fletus mei: exaudivit Dominus deprecationem meam. Psalm. 6.* An nefas est pro anima damnati orare, fas verò ejus salutem fletu efflagitare? *Facile est cuiquam videri respondisse, qui tacere noluerit. Aut, quid est loquacius vanitate? Quæ non ideo potest quædam veritas; quia si voluerit, etiam plus potest clamare quàm veritas.* scribit S. Augustinus *Lib. 5. de Civ. Dei cap. ult.* Quid magis quàm simplicem preceationem & fletum intercessisse collegi deberet ex eo, quod per sanctum Joannem Damascenum scribatur, S. Gregorium Pontificem voce divina fuisse admonitum, ne deinceps pro impio quopiam hostiam offerret, quo satis clarè innuitur, hostiam salutarem ab ipso pro liberatione anime Trajani fuisse oblatam. Porro ipsa narrationis diversitas rem falsam esse evincit. *Nil ita prædit, inquit in hac causa Alexander tom. 1. fac.*

fac. 2. H. E. diff. 1. prob. 4. falsitatem Historia,
quàm Authorum in ea referenda dissensio?

IV. Sancti Gregorii Magni actus commiserationis erga animam Trajani falsa laborat hypothesis. Quod enim refertur, quasi Imperator ad bellum accinctus, fuisset ab aliqua vidua, cujus filius occisus, interpellatus de præstanda vindicta, omnino cominentitium est, neque ullius veteris Scriptoris, aut fide, aut Historiâ fulcitur; ac proinde roritur, quod de liberatione ex inferno per preces & Lachrymas S. Gregorii comminiscuntur aliqui. Nonnulli quidem autumant Historiam à Dione Cassio, qui Cocceius fuit cognominatus, fuisse scriptam: sed ab hujus Abbreviatore Xiphilino, monacho Constantinopolitano prætermittam. Ac propterea mirum non esse, si apud Veteres non extet. Ast innituntur conjecturationibus omnino frivolis; & allegandus venit ille, qui in Dione factum legit, aut qui primum aliunde haustum illud ipsum tradidit. Ex Octoginta Dionis Cassii Libris in decem decades distinctis triginta quatuor priores sunt perditii; & nonnisi quædam restant fragmenta, in libro 35. & seqq. usque ad 60. nil continetur, quod huc spectare possit: reliquorum 20. habemus epitomen Xiphilini. Hunc autem in summa contentam historiam noluisse posteris communicare probatum à nemine fuit. Plinius certe tam insignis Trajani Encomiastes, rem tam notabilem, & ne excideret, sculpris simulachris posteritati traditam, in panegyrico non produxit: non quod ignoraverit; sed quia non contigit. Fingitur præterea, quod Imperator filium suum obsidem reliquerit; & S. Antoninus, Joannes Viguerius, Bernardinus Corius perhibent filium Trajani fuisse homicidam illum. Verum quomodo hæc subsistere poterunt, cum ex historiis certum sit, quod Trajanus neque naturalem, neque adoptivum habuerit filium, nisi Adrianum Picenum, quem, in extremis positus, anno

regni sui vigesimo, adoptasse fertur, ut post obitum suum capesceret Imperii fasces? Huc accedit, quod creditu sit difficile, statuas illas æneas, post tot Urbis direptiones, & à Barbaris factas expilationes, remansisse; cum compertum sit, quod æs absconditum & Capitolium tegens harpagantibus in prædam cesserit. Fortentosas nugas invenit citatus Corius in *vit. Traj.* nempe inventum ejusdem Cæsaris cranium, quod fari jussim, Trajani se esse dixerit &c. Cum itaque Baronius, Bellarminus, Suarez, Soto &c. Viri eruditissimi acerrimo ingenio, naso sagacissimo, oculis perspicacissimis, auribus purissimis, in Historia Ecclesiastica & arte critica versatissimi, judicio planè defœcato, huic narratiunculæ omnem veritatis speciem abjudicent, eamque velut ineptum figmentum ultra columnas Herculeas rejiciant, ob rationes gravissimas; mirum videri debet, quod Bollandus ad ultimum caput vitæ S. Gregorii per Paulum Diaconum, notatu dignam censuerit Historiam, credens quod vita ab authore anonymo cœvo esset scripta; is tamen non alius, quàm idem Paulus, qui annis circiter ducentis & quinquaginta fuit Gregorio posterior. Mirum quoque videri debet, quod Henriquez censeat quosdam historiam Trajani rejicere sine causa quasi fabulam. Quanto convenientius censuisset quosdam fabulam sine causa ut veram admittere historiam? Id, quod dilucide patebit ex sequentibus responsionibus ad ea, quæ ipsos induxerunt, ut verum crederent.

Ad Primum Respondetur. Neglectus diligentioris indaginis, ignorantia circumstantiarum sibi repugnantium, animus in credulitatem incircumspectam propensus plerumque effecerunt, ut fabulæ & prodigia, fide majora, pro veris historiis sint recepta. Nullius viri, quantumvis pii & sancti, Autoritate, prærogativâ, aut merito seu doctrina conspicui, veneratione dignissimi, simplex attestatio rem falsam potest reddere veram;

C c c 2

efficit

efficit tamen, ut falsum quandoque recipiatur & credatur verum; atque sensim accedentibus aliis supparis autoritatis Scriptoribus speciem veritatis, seipsum fucum assumat. Verum sicut ficta purpura ad veram conspectum apparet decolor: ita veritas & falsitas inter se collata discernitur ab oculo perspicaci atque intento. Quod in presentiarum contigit, dum sanctus Joannes Damascenus, illud, quod vulgo circumferebatur, quodque factum esse sibi persuaserat, bona fide scripsit, posterisque mandavit. Voluit autem vir zelosus quovis exemplorum genere Christianos inducere, ut pro defunctis fidelibus orent: atque ut redemptionis spem certam adstruat, suam deduxit orationem, ut etiam infidelibus in inferno vivorum profuisse suffragia ostenderet. In quo, dum erravit, quod hominis est, subit. Nec mirum hunc sanctum Patrem, æque ac alios, ex quadam incogitantia, quæ in omni artium genere, etiam versatissimis obrepere solet, fuisse deceptum: abreptus enim tot hominum, ita sententium, præjudicio, nemine in aperto contradicente aut dubitante, nequaquam advertit, quantis res ipsa esset implicita contradictionibus, quam, ut hyperbolicè exaggerat, veram constare Orienti & Occidenti credi voluit. Quem admodum verò in primis sæculis erant Christiani, qui fingere, aut mentiri pro religione, pium arbitrabantur, quod Posselinus in epistola ad Henschenium tertia observat; ita non defuere subsequentium sæculorum decursu, qui credebant se obsequium præstare Deo; si figmento quodam plebem à malo abducere aut ad bonum allicere possent, quos inter recensere citra injuriam liceat S. Joannem Damascenum. Salva interim maneat Viro piissimo sua Autoritas. Sed locum hic quoque sibi vindicet, quod Vincentius Lirinensis præclare in *Regula*. *Quidquid, quamvis ille Sanctus & Doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit.*

id inter proprias occultas & privatas opiniones à communis publicæ & Generalis sententia autoritate secretum. Hujusmodi privata & propria Damasceni est etiam illa opinio de liberata à gehennæ incendio idolorum cultricis Falconillæ anima, precibus sanctæ Theclæ. Quod factum à fortiori probare conatur per ea, quæ de Trajano referuntur, qui pluribus peccatis in vita fuit obnoxius. Eandem de Falconilla fabulam (ut ea Cardinali Bellarmino videtur) ex actis certè apocryphis, quæ sub nomine Pauli & Theclæ circumferbantur, hausit Damascenus, & adoptarunt Vincentius Belluac. in *Specul. Hystor. Mombritiis in vita Theclæ*, ac pauci quidam inferioris notæ Scriptores; qui, quantumcunque moliantur acta sanctæ Theclæ ut genuina cum Baronio tueri; hæc tamen de Falconilla fuisse assuta, vult idem Cardinalis, cui contradicit Collius, quod gesta passionis sanctæ Theclæ tot insignes pietate & doctrina antiqui Patres sancti approbaverint, & unumquodque eorum, quæ in iis leguntur, confirmaverint.

Alii, ut hujus commenti fundamentum evertant, cum Vincentio Belluac. S. Antonino, Tithemio, Stephano Volaterano sanctum Joannem Damascenum constituunt ante tempora Gregoræ Magni, voluntque floruisse sub Theodosio Imp. sæculo quarto præcipite. Verum hi omnes graviter hallucinantur; quandoquidem in comperto sit, eundem Scriptorum sæculo octavo sub Leone Isaacico vixisse, multasque persecutiones à Constantino Copronymo passum, qui illum nominabat *Manser*, cujus cognomen tum alias erat *Mansur*, ob convitiosam mutationem in Ecclesia infrequentissimum, quod latinè sonat *Redemptus*. Porro inter Criticos modernos reperiuntur, qui negant orationem pro fidelibus defunctis, in qua Trajani anima liberata refertur, esse Joannis Damasceni, idemque nuperrime inficiatur Nicolaus Comnenus in *Pranot. Mystagogicis*. Rectius elevatur

elevatur libri in Bibliotheca Vaticana existentis Authoritas. Sapientissimè siquidem; censeat ejusdem Bibliothecæ Eminentissimus Præfectus; simplices perperam opinari, quasi divinum sit oraculum, quidquid inibi reperitur. Omnis Bibliotheca copiosa similis est saganæ, missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti. Quæ in calce ejusdem libri, diu post tempora Pauli & Joannis Diaconorum à quodam nugivendolo adjecta fuerant, levidensia sunt, ex fabulosæ traditionis officina desumpta; quibus quantum oïlii attributum fuit authoritatis, tantum incertitudinis inesse nunc comperitur. Vivimus modo ea tempora, quibus post horrendam illam caliginem, quæ tot annis in rem litterariam & Christianam incubuerat, renascentibus litteris, sæliciter obstetricata est Critica, per quam pristini ævi vibices sunt obliteratæ. *Plus apud nos valet ratio, quam vulgi opinio.* ait Cicero part. 1.

Ad Secundum Respondetur. Joannes Diaconus, qui vitam S. Gregorii tribus ferme sæculis post hujus obitum conscripsit; cum hujus facti meminisset, & domestica testimonia deficerent (nam vitam à Petro Diacono conscriptam penitus ignoravit, quod suppositionis apertissimum est argumentum) refert, quod illud legatur in Ecclesiis Anglorum: sed quia autumabat, nequaquam subsistere posse, quod Vie sanctissimus censuerat impium esse; nimirum pro damnatis preces fundere, Saxonum quoque profert testificationem, apud quos perhibetur, quod S. Gregorius lachrymatus fuerit, animam Trajani periisse: & quod hinc Deus fuerit permotus, ut hujus Imperatoris animam ex penis infernalibus eriperet; non tamen in caelos assumpserit; utpote in quod nihil coinquinatum intuiore valer. *Videte aemmen; sed vitreum. Quantum lucet vanitate? sed frangitur veritate.* Verba sunt S. Augustini. *Serm. 11. de verb. Apost.* Quodsi dubitetur de veritate rei gestæ, nequidquam

ad certificationem ponderis adjeicit, quod de inflicto dolore stomachi, quo certò S. Pater laboravit, asseritur; quando ex ipsius constat Epistolis; quod diu ante susceptum Pontificatum hujusmodi dolorem senserit. Eiusdem est conmatas illud, quod ex Eulogio Græcorum deponitur, quorum libri rituales in puncto hoc, quam in multis aliis, quæ post infame Schisma copiosè irreperunt, correctioni subjacent. *Vulgo negligitur veritatis investigatio: sed ad ea quæ forte ac temerè oblata sunt potius feruntur homines* scribit Thucyd. Lib. 1.

Ad Tertium Respondetur. aptè illud S. Augustini Lib. de vera religione cap. 55. *Frates non sit nobis religio in phantasmatis nostris. Melius est qualecunque verum, quam omne id, quod arbitrio fingi potest. Melior est stipula veritatis, quam aurum falsitatis. Nonne ideo verum est, quia frater aut soror dicit se talem visionem habuisse?* Et quidem, si de visionibus loquamur, multa sæpè jactari patet, quæ mendacii ex pluribus arguuntur; nonnulloque id genus gravissimis in negotiis veluti divinitus propinata, litteris mandari, quæ inter sese pugnare manifestè conspiciuntur. Cum tamen veritas divinitus inspirata sibi perpetuo constans inveniat. Nonne sunt inter se contraria, noluisse Deum de liberatione animæ Trajani certè aliquid sciri, & voluisse isthæc revelari, & reddi omnibus manifesta? Ita planè. Quando igitur idem Dominus S. Birgittæ quam manifestissimè aperuit, precibus S. Gregorii animam Trajani alleviatam; S. Mathildi verò divinitus traditum: nolle Deum, ut sciant homines, quid factum sit de anima Trajani? Quodsi dicatur colligi ex Mathildis scriptis, liberalitate divina animam Trajani salvatam: tunc, quod deterius est, quis reperiet in eodem contextu verborum, contrarias esse sententias. Nempe nolo, ut sciant homines; quod contrarium est. Hominiibus ostendo quid sit factum. In hunc

ferè modum argutè discurrit Baronius l. c. n. 47. quem sic inchoat. *Veneror quidem, ut par est Sanctas ipsas & colo: sed de revelationibus ipsis factis, vel potius ipsis adscriptis ea duntaxat recipio, quæ Ecclesia recipit: quam scimus non potuisse ista probare, quæ sunt inter se pugnantia.*

Porro revelationes non ubivis historici testimonii vices probè sustinere affirmant religionis æquè ac eruditionis laude probatissimi Viri quamplures: & talia producunt; quæ veritati alias receptæ in quibusdam contradixerunt. Atque hi sentiunt non semper impedire Deum naturalem hominis phantasiam, è speciebus ante extasin impressis oriundam, unde fieri nequeat, quin aliqui subinde errores istis revelationibus, ex conditione hominum naturali, accedant. Et licet cuncta ab ipsis, quæ divinarum revelationum participes effectæ sunt, conscripta fuisse, ultro concederetur: non tamen omnia, quæ in earum revelationibus leguntur, legis præcepto credenda sunt: alias plurima de fide essent, ut Scholæ loquuntur, quæ adhuc inter Theologos varia discussione disputantur: & de quibus adhuc sub iudice lis est. Quid, quod sancti Prophetæ, qui in Ecclesiæ gubernatione à Deo suscitati, huncque de communibus necessitatibus consulentes, aut ad legis interpretationem deputati, donisque necessariis insigniti; in suis aliquando persuasionibus fuerint decepti? Quandoquidem non semper afflati divino spiritu fuerint locuti; sed interdum suo, qui falli potest, sicut aliorum, quos nunquam propheticus illustravit Spiritus. Hoc certum esse scribit Casparus Sanctius in *Lib. 4. Reg. cap. 4. vers. 33.* idque pluribus ostendit in *Lib. 2. Reg. cap. 7. vers. 3.* ubi subjungit. *Non omnia, quæ loquuntur Propheta Spiritu didicere Prophetico: sed interdum, sicut ceteri hominum, suis ducuntur; imo & abducuntur consiliis, & prudentibus agunt conjecturis. Unde nonnunquam reprehenduntur*

à Deo, quod aliquid fecerint dixerintve, & minus sanctè & non valde temporatum ad rem. Exemplo poterit esse Jonas, in cuius verbis multa sunt, quæ à divino ac prophetico Spiritu longè recesserunt. Neque pauca sunt in aliis, quæ ex affectu humano potius, quam ex Spiritu Prophetico prodierunt, quæ ipsi damnant. *Vid. S. Thom. 2. 2. de. quest. 171. art. 5. & S. Gregorium homil. 1. in Ezechiel.*

Concedit quidem Deltio *Disq. Mag. Lib. 4. cap. 1. Quest. 3. Sect. 4. S. Catharinam Senen.* in quadam re, qua de Theologica quæstione, naturali, non divino lumine præeunte, disserabat, potuisse errare, imo errasse; sed ab aliquibus in Sanctam parum honestè dici vult, quod sit decepta & falsam revelationem pro vera habuerit. Similiter dum Hericus de Hassia, & Sybillanus ambo religiosi, quos ipse non nihil audaces vocat, volunt, quod S. Birgittæ & similibus revelationes non debeant haberi pro indubitanter veris & moraliter certis; quia in illarum dictis quædam occurrunt minus, secundum communem Doctorum sententiam, consentanea rationi & veritati; dicit Deltio, eos nimis multum de autoritate Sanctarum decerpere. Nihilominus si revelationes ille contradictoria exponant, ut etiam Franc. Pictus & S. Antoninus observant, necessario aberrura erit falsa: ejusmodi autem revelationes hi citati Authores referunt. Quidquid Scriptor ille, dum S. Antoninus ad objectionem revelationis S. Birgittæ de immaculata Conceptione respondit. *Sciendum alias Sanctas, miraculis claras, contrariam revelationem habuisse.* profiteatur non magni facere hoc Antonini dictum. Merito tamen *Sect. 5.* inter indicia, à natura ipsius revelationis petita, ponit considerandum, an revelata Sacræ Scripturæ sint consentanea omni ex parte, constantia, congrua quoque Sanctorum hominum Doctrinæ & exemplis; nihilque habeant admixta erronea seu falsa. Nam juxta Glossam in *Matth. cap. 17.* suspecta est

omnis

omnis revelatio, quam non videmus per omnia convenire, cum Lege, Prophetis & Evangelio.

Nequit etiam suffragari autoritas SS. Thomæ, Antonini, Vincentii aut aliorum quorundam. Quanquam enim in re litteraria nemo adeo hospes existit, ut ignoret, quo in pretio sit apud omnes æquos æstimatores Doctor Angelicus: ejus tamen scripta, non adeo indubitata fidei nequeunt censerī, ut cuncta & singula, quæ suis libris insparlit, absque ulla hæsitacione aut contradictione locum obtinere debeant, quod soli Scriptori Canonico comperere certum est. Neque enim quorumlibet disputaciones, ait S. August. epist. 111. ad Fortunatum, quamvis Catholicorum & Laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificencia, qua illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respicere; si forte inveniremus, quod aliter senserint, quam veritas habet: divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Qualis ego sum in scripturis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.

Non consueverunt Theologi res gestas studiosissimè disquirere, ut accurati Historici & Critici: sed plerumque disputant, quomodo contingere possint. Atque hinc evenit, ut quandoque supponant rem gestam, de cujus modo disputant. Ita contigit S. Thomæ, qui fidem S. Joanni Damasceno tribuit, cum hic factum citra hæsitacionem bona fide tradidisset. Quod autem Canus *Loc. com. Lib. 11. cap. 11.* putat S. Doctorem Angelicum hæc de Trajano scripsisse cum juvenis esset; tacitè insinuans, eundem aliter censurum, si in illam quæstionem lenior incidisset; improbat Collius 3 p. 9. § 2. a. 6. quandoquidem Summam grandævus scribens, hanc sententiam non fuit averfatus. Quidquid sit de hoc; novimus sapientissimos Patres homines extitisse deceptioni ob-

noxios; qui sæpenumero in quæstionibus facti examinandis, non usque adeo accurati fuerunt: quia scilicet majoris momenti rebus ad pietatem & instructionem spectantibus sedulo animos intendebant. Sic pariformiter S. Antoninus, S. Vincentius &c. adnotarunt historias, ut vulgo ferebantur, & quæ ad timorem Dei, spem, religionem vel pietatem conducere possent; & quandoque falsa pro veris exposuerunt. Quod quidem de iis sentire, quibusdam nimium devotis videtur calumniosum: minime tamen illis, qui probe norunt, esse verissimum, quod religiosissimus Episcopus Canariensis *loc. cit.* depromit. *Signa nonnulla & prodigia Sancti quoque memoria prodiderunt: non quia ea libenter credidissent: se ne deesse fidelium votis viderentur. Id vero eo magis sibi licere existimaverunt; quod intellexerint auctoribus nobilissimis placuisse: veram historia legem esse eam, illa scribere quæ vulgò vera habentur.* Habeat hic locum illud Plinii junioris *Lib. 1. In re magna vincat ratio auctoritatem.*

Ad Quartum Respondetur. Non esse quidem curiosus in Dei opera inquirendum; neque de modo, quo ipse salvat animas, investigandum; sed neque ullatenus credendum, quod Evangelicæ veritati, & cunctis Ecclesiæ dogmatibus aperte contrariatur. Quod si tam periculosum sit, credere, quam decipi; periculosissimum erit etiam suspicari illa, quæ Oraculis repugnant divinis. Vel ipsa, ut superius patet, persuasum habuit superstitiose credula gentilitas, quod scelerati, in Tartarum intrusi, nunquam emergere valeant, qui vadunt *per iter tenebrosum*

*Illuc unde negant
redire quemquam.*

Fuere quidem inter Ethnicos, qui arbitrati sunt, à Majoribus esse conficta tormenta, quæ ad inferos remissi subirent; quod vel

vel ipsum Ciceronem sensisse patet ex *Lib. 2. de Nat. Deor.* regressum tamen ab inferis, ut dictum, negabant omnes. Fuit Cordubensis Philosophus in Ethnicorum Doctrina & disciplina versatissimus, qui ex eorundem sensu tradit.

Sed nemo ad id sero venit; unde, unquam, cum semel venit, potuit reverti.

non unquam amplius.

Econtra Christiani, qui Trajanum ex gehenna ereptum volunt, nebulas diverberant; atque in vanum usque nunc laboraverunt; quomodo tor fragosa & obstantia plana reddere & invicem componere possent. Et licet diversas inierint vias, nulla tamen ad veritatis tramitem ducit. Quod de aliis per SS. Apostolos aliosve Sanctos resuscitatis adfertur, Nihil ad versum, ut Lucianus ait, Siquidem hi, in quos finalis sententia nondum fuerat lata, postea baptizati, aut absolvi, potuerunt salvari, quod de damnato frustra fingeretur Trajano. Nam *Si ceciderit Lignum ad Austrum aut Aquilonem, in quocumque loco crediderit, ibi erit.* *Eccles. cap. 11.* Damnationem sempiternam promeruit impietas scelerati: pro hac, quoad usque vivit, avertenda orabit ad Deum omnis Sanctus in tempore opportuno: verumtamen in diluvio aquarum multarum, seu poenarum aeternarum, ad eum non approximabunt, transeundo ad gloriam caelestem.

Facessat igitur inane commentum de immissis sancto Pontifici ægri tudinibus, quod pro anima damnati orare præsumperit, vel ut Joannes Diaconus hariolatur, ne ob Trajanæ ereptionem exorata animo tumesceret. Rectè scientissimus Theophilus Rainandus *Hoploteca, Sect. 2. Serie 3. cap. 24.* hoc ipsum calumniis accersit, quæ viris magnis impingi solent, citatque ibidem Abulentem, qui *quest. 57. in 4^{um}. Reg.* asseverat, quod in hoc casu Gregorius peccatum mortale commiserit, id, quod de viro Sanctissimo,

Spiritus almi suggestionibus directo nefas est præsumere. Atque hoc fundamento evulso, præcinduntur trica varæ, ut optime deducit præfatus Dionysius à S. Martha, ab antiquis Theologis Scholasticis excogitata, ad exponendum, quomodo salva Decretorum divinorum veritate, de abyfso nunquam lenescente (id est, juxta S. Gregorii expositionem *Lib. 24. moral.* de nulla unquam in inferno redemptione) potuerit sanctus Pontifex exorare Trajanæ Tartaro liberationem. Ultimam manum rei imponat crisis Baroniata;

Art. Lib. 10.

Et magis principio grata coronaverit.

Vidisti quidem, ait, quam levibus ac frivolis nitatur res tanta fabellis, & tradatur undique mendacis Historia tanti momenti; quæ, etsi gravissimos testes potuisset habere, sibi invicem consentientes, omnique genere probationum id affirmantes; adhuc tamen ob offensam Majestatem Evangelicæ Veritatis, & Sacræ Ecclesiæ Catholicæ firmata, stabilitaque dogmata; adhuc, inquam, fuisset jure, meritoque de veritate Historiæ dubitandum, eaque ad discussionem exactissimam revocanda. Sed & probata, veraque inventa, non tamen continuo divulganda: sed veluti arcanum quoddam in sacris Ecclesiæ penetralibus retinenda. Quanto ergo magis prudens quisquis facile judicaverit esse oblivione delendam damnandamque silentio, quæ probatione destituitur, mendacis scater, nec saltem verisimili nititur conjecturæ; neque ullo stabili fundamento subsistit, dignam esse (quod verus proverbium habet) rejici in Beatam, in quam Trajanus mortuus projectus est in inferos. Hucusque Cardinalis. Hac si perpendisset bene & fideliter Benedictus Fidelis, tertii Ord. S. Francisci in Sicilia Commissarius Generalis, ex ambone magonizatam fabellam non protulisset neque scripsit

scriptis panegyrico 14. evulgasset, quod Christus S. Gregorio utpote Successori S. Petri claves regni cœlorum, quas Apostolo indulserat commiserit : claves verò inferni, quas Petro non dederat, Gregorio etiam administrandas tradiderit. Neque suis vult auditoribus Encomiastes hic mirum videri, quod Sanctus ille tales ausus conceperit, tanquam magna, liberationem scilicet ex inferno, petere potuisset : cum & ipse Magnus sit : juxta illud Bernardi Serm. 32. in Cant. *Tales magna audent, quia Magni sunt.* Hic profectò verificatur illud, quod S. Gregorius apud Marul. *Lib. 1. cap. 4.* cuidam probato viro, ipsum extollenti, ex humilitate respondisse fertur. *Sed plerumque evenit, ut ea, qua de us quos laudamus, in medium proferimus MAJORA VERO sint.* Quod in præsentiarum fit : quandoquidem ævo nostro, quantumcunque facile credamus, quæ

libenter audimus, nemo rerum, ad religionem spectantium, cognitione vel leviter tinctus illud, quod de præpotentibus precibus Gregorianis circumfertur credere dignatur.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum are lavantur. Obsoleta nunc profus, quæ olim, etiam à quibusdam alicujus nominis fuerant adoptata : sic, ut cum Tullio *Lib. 2. de Nat. Deor.* fari liceat.

Vidimus certas opiniones falsas atque vanas diuturnitate extabuisse : opinionum enim commenta delet dies ; natura judicia confirmat.



Ddd

CON-